

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Ludus globorum missilium. Adolphvs Bernhardvs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

Euge, audivit votum. Penes nos est huius certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. Iam (a) appetit vespera, & sudatum est satis; praestat a ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. N. Nos evicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur una ad compotatiunculam. Sed interim quis solvet pretium pilarum? H. Omnes ex aequo, pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est, quam ut inde possit aliquid decidi.

(a) Appetit vespera, pro instat, cum est verbum neutrale.

Ludus globorum missilium. *Colloq. Hebr.*

ADOLPHVS. BERNHARDVS. *p. 104.*

A. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum, quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Ago libet experiri, qui vir sis. B. Nil detrecto, huc, si quid libet. Nunc tu plane, quod dici solet, (a) in planiciem provocas equum. A. Et tu senties, me non esse asinum. B. Placéne (b) monomachia, ut unus cum uno congregetur, an maioris adungi socios periculi? A. Malo ut voca xén, ne qua pars victoria decidatur alteri. B. Istud & ipse malo, ut laus in solidum sit mea. A. Hi spectatores erunt, & arbitri. B. Recipio, sed quod erit victori bravium, aut qua victo poena? A. Quid si victo amputetur auricula? B. Imò testium alter execetur potius. Non est magnificum, certare pro pecunia. Tu Germanus es, & ego Gallus: decertemus pro sua uterque gentis gloria. Si vicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo

celebrabo tuam Germaniam. A. Agè, placet conditio. B. Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo due maxime nationes, sint aequales sphaera. A. Nosti saxum illud prominens haud procul à porta? B. Novi. A. Ea erit meta, & hac linea. B. Esto, sed sint inquam pares globi. A. Minus discernas ovum ab ovo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis, elige. B. Mitte. A. Heus tu mihi non brachium sed balistam habere videris, ita torques globum. B. Satis momordisti labrum, satis rotaasti brachium, tandem mitte. O vires Herculeas! sed tamen vinco. A. Nisi sceleratus ille laterculus obstuisset, praevertisfonte te. B. Consiste in sphaera tua vestigio. A. Non mirar dolo malo. Cupio virtute non fraude vincere: quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat. B. Ingens profecto jactus. A. Ne ride prius quam viceris. Adhuc penè sumus pares. B. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is vicerit. A. Vici: canta. B. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerant vires. A. Definiant arbitri. AR. Tertio. B. Placet. A. Quid ais: agnoscisne victorem? B. Tibi fortuna magis aspiravit: viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar. AR. Germanus vicit, & hoc gloriosior est victoria, quòd talem artificem vicerit. A. Nunc canta Galle. B. Sum (c) raucus. A. Hoc Gallis novum non est: sed tamen coccyssa. B. Floreat Germania ter. A. Imò ter hoc erat canendum. B. Contraximus siticulam: camus ad compotatiunculam, ibi perficietur

cietur cantio. A. Non recuso, si ita videtur arbitris. B. Ita commodius est. Melius canit Gallus (d) colluto gutture.

(a) In planitiem, vide proverbium. (b) Monomachia, singulare certamen. (c) Alludit ad Gallos gallicanos, quibus naturâ adest vox rauca, qui proprie dicuntur coccyssare. Vnde & Galli, vulgò vocant gallum coco. (d) Ita colluere guttur apud Persium. Solet autem medicamentis vox fieri mollior, quod hîc fit vino.

Ludus sphaeræ per annulum ferreum. *Colloq. Helv. p. 109.*

GASPAR. ERASMVVS.

G. Agè, nos auspiciabimur. Victo succedet Marcolphus. E. Sed quod erit victori premium? G. Victus ex tempore faciet & recitabit distichon in laudem victoris. E. Accipio legem. G. Visne sortiamur, uter prior incipiat? E. Esto tu Prior, si libet, ego malim esse Abbas. G. Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota est area. E. Versaris in tuâ harenâ. G. In hac exercitior sum, quam in libris. Tamen istud perquam exigui momenti est. E. Aequum est, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil. G. Imò istud absteperem justius: sed parum est honesta, precaria victoria. Is demum vincit, qui suo Marte vincit. Ita sumus pares, ut non melius commissus fuerit olim cum Bitho Bacchius. E. Tua sphaera commodior est mea. G. Et tua vola vincit meam. E. Ludito legitime, absque technis ac dolo malo. G. Dices tibi rem esse cum homine probo. E. Sed prius audire cupio